

LIBER GENESIS 6,1-22 – SYNOPSE

Vulgata (Biblia Polyglotta, 1657)

Anmerkung: Korrigierte lateinische Orthographie

*Versio interlinearis Santis Pagnini,
ad Hebraicam phrasin examinata per Ben. Ariam
Montanum, & alios (Biblia Polyglotta, 1657)*

Anmerkung: Korrigierte lateinische Orthographie

Vetus Latina nach P. Sabatier (Herder, 1951)

Anmerkung: Wenn nichts anderes angegeben, ist die Textform in (L)

Nova Vulgata (Libreria Editrice Vaticana, 1986)

Übersetzung von B. Jacob (Schocken, 1934)

Anmerkung: Korrigierte deutsche Orthographie

Verdeutschung von M. Buber

gemeinsam mit Fr. Rosenzweig (Schneider, 1987)

Anmerkung: Korrigierte deutsche Orthographie

Copyright by H. D. Peltzer

01 Cumque coepissent homines multiplicari super terram, & filias
procreassent;

*Et fuit, cum coepit homo ad deum multiplicam super facies terrae,
& filiae natae sunt eis.*

(E) Et factum est postquam coeperunt homines multi fieri super terram et filiae natae sunt eis.

(H) Cumque coepissent homines multiplicari super terram et filias procreassent.

Cumque coepissent homines multiplicari super terram et filias procreassent,

Es geschah nun, als die Menschen anfangen, sich auf der weiten Erde zu vermehren und ihnen Töchter geboren wurden.

Es geschah, als der Mensch auf dem Antlitz des Ackers sich zu mehren begann, und Töchter wurden ihnen geboren.

02 Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchrae, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant.

Et viderunt filii Dei filias hominum, quod pulchrae ipsae: & acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerunt.

(E) Videntes autem angeli dei filias hominum quod essent formosae acceperunt sibi mulieres ex omnibus quas elegerunt.

(H) Videntes filii dei filias eorum quod essent pulchrae acceperunt uxores sibi ex omnibus quas elegerant.

Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchrae, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant.

Da sahen sich >>die Göttlichen<< die Töchter der Menschen, dass sie die rechten seien, da nahmen sie sich Weiber, welche immer sie erwählten.

Die Gottessöhne sahen die Menschentöchter, dass sie schön sind, und nahmen sich Weiber, allwelche sie wählten.

03 Dixitque Deus; Non permanebit spiritus meus in homine in aeternam, quia caro est: eruntque dies illius centum viginti annorum.

Et dixit Dominus, Non contendet spiritus meus cum homine in saeculum, in eo quod etiam ipse caro. Et erunt dies eius, centum & viginti anni.

(E) Et tunc dixit deus non permanebit spiritus meus in hominibus istis in aeternum propter quod caro sunt, erunt autem dies eorum centum viginti anni.

(H) Dixitque deus non permanebit spiritus meus in homine in aeternum quia caro est eruntque dies illius centum viginti annorum.

Dixitque Deus: „Non permanebit spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est, eruntque dies illius centum viginti annorum.

Da sprach ER, mein Geist soll nimmermehr stark sein im Menschen, zumal er Fleisch ist, und es seien seine Tage 120 Jahre.

ER sprach: Nicht niedre mein Geistbraus sich im Menschen für eine Weltzeit, derweil er auch Fleisch ist, seien denn seine Tage hundertundzwanzig Jahre.

04 Gigantes autem erant super terram in diebus illis. Postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illaeque genuerunt, isti sunt potentes a saeculo, viri famosi.

Gigantes fuerunt in terra in diebus ipsis. Et etiam postea quam ingressi

sunt filii Dei ad filias hominum, & genuerunt eis. Isti potentes qui a saeculo viri nominis.

(I) Gigantes autem erant super terram in diebus illis et post illud cum genuit intrarent filii dei ad filias hominum et generabant sibi illi erant gigantes a saeculo homines nominati.

(H) Gigantes autem erant super terram in diebus illis postquam enim ingressi sunt filii dei ad filias hominum illaeque genuerunt isti sunt potentes a saeculo viri famosi.

Gigantes erant super terram in diebus illis et etiam postquam ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illaeque eis genuerunt: isti sunt potentes a saeculo viri famosi.

Die Nefilim waren in jenen Tagen auf der Erde und auch nachher, weil >>die Göttlichen<< zu den Töchtern der Menschen kamen und sie ihnen gebaren. Das sind die Gewaltigen der Vorzeit, Männer von Namen.

In jenen Tagen waren die Riesen auf Erden, und danach auch, als die Gottessöhne zu den Menschentöchtern gingen und die ihnen gebaren, das sind die Helden, die aus der Vorwelt, die Männer von Namen.

05 Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.

Et vidit Dominus quod multa malitia hominis in terra: & omnis imaginatio cogitationum cordis eius tantum malum omni die.

(K) Et vidit dominus deus redundasse nequitas hominum super terram et quod omnes in malum recordarentur a principio dierum suorum.

(I) Videns autem dominus deus quia multiplicatae sunt malitiae hominum super terram et omnis quisque cogitat in corde suo diligenter super maligna omnes dies.

(H) Videns autem deus quod multa malitia hominum esset in terra et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.

Videns autem Dominus quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis eorum non intenta esset nisi ad malum omni tempore.

Da sah ER, dass viel war die Bosheit des Menschen auf der Erde und jegliches Gebilde der Gedanken seines Herzens völlig böse den ganzen Tag.

ER sah: Ja, groß war die Bosheit des Menschen auf Erden und alles Gebild der Planungen seines Herzens bloß böse all den Tag.

06 Poenituit eum quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus.

Et poenituit Dominum quod fecisset hominem in terra: & indoluit ad cor suum.

(I) Et cogitavit deus quia fecit hominem super terram et poenituit.

(H) Paenituit eum quod hominem fecisset in terra et tactus dolore cordis intrinsecus.

Paenituit Dominum quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus.

Und es war IHM leid, dass er den Menschen auf der Erde gemacht habe,

und er betrübt sich zu seinem Herzen.

Da leidete IHN, dass er den Menschen gemacht hatte auf Erden, und er grämte sich in sein Herz.

07 Delebo, inquit, hominem, quem creavi, a facie terrae; ab homine usque ad animantia; a reptili usque ad volucres coeli; poeniret enim me fecisse eos.

Et dixit Dominus: Delebo hominem quem creavi desuper facies terrae, ab homine usque ad iumentum usque ad reptile & ad volatile caelorum: quia poenitet me quod feci ea.

(L) Et dixit deus perdam hominem quem feci a facie terrae ab homine usque ad pecus et a reptilibus usque ad volatilia caeli (I) quoniam poenitet me quod feci eos.

(H) Delebo inquit hominem quem creavi a facie terrae ab homine usque ad animantia a reptili usque ad volucres caeli poenitet enim me fecisse eos.

„Delebo, inquit, hominem, quem creavi, a facie terrae, ab homine usque ad pecus, usque ad reptile et usque ad volucres caeli; poenitet enim me fecisse eos“.

Und ER sprach: Wegwischen werde ich den Menschen, den ich geschaffen habe, von dem weiten Erdboden, so Mensch wie Vieh, so Gewürm, so Vögel des Himmels; denn es ist mir leid, dass ich sie gemacht habe.

ER sprach: Wegwischen will ich vom Antlitz des Ackers den Menschen, den ich schuf, vom Menschen bis zum Tier, bis zum Kriechgehege und

bis zum Vogel des Himmels, denn leid ist´s mir, dass ich sie machte.

08 Noë vero invenit gratiam coram Domino.

Et Noach invenit gratiam in oculis Domini.

(E) Noe autem invenit gratiam ante dominum deum.

H) Noe vero invenit gratiam coram domino.

Noe vero invenit gratiam coram Domino.

Aber Noah fand Gunst in den Augen Gottes.

Noach aber fand Gunst in SEINEN Augen.

09 Hae sunt generationes Noë: Noë vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis; cum Deo ambulavit.

Istae generationes Noach: Noach vir iustus, perfectus fuit in generationibus suis. Cum Deo ambulavit Noach.

(A) Hae autem generationes Noe. (E) Noe homo iustus et perfectus erat in generatione sua et placuit deo.

(H) Hae sunt generationes Noe. Noe vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis cum deo ambulavit.

Hae sunt generationes Noe: Noe vir iustus atque perfectus fuit in generatione sua; cum Deo ambulavit.

Dies sind die Toledot (Generationen) Noahs. Noah, ein gerechter Mann, vollkommen in seinen Zeitaltern ist er gewesen. Mit Ihm, Gott, wandelte er.

Dies sind die Zeugungen Noachs: Noach war ein bewährter, ganzer

Mann unter seinen Geschlechtern, mit Gott ging Noach um,

10 Et genuit tres filios, Sem, Cham, & Iapheth,

Et genuit Noach tres filios, Sem, Cham & Iepheth.

(H) Et genuit tres filios Sem, Ham et Iafeth.

Et genuit tres filios: Sem, Cham et Iapheth.

Und Noah zeugte – im Wandel mit Gott – drei Söhne: Sem, Ham und Jefet.

Noach zeugte drei Söhne: den Schem, den Cham, und den Jafet.

11 Corrupta est autem terra coram Deo, & repleta est iniquitate.

Et corrupta est terra in conspectu D E I: & repleta est terra iniquitate.

(I) Corrupta est autem terra coram deo et repleta est terra iniquitatibus.

(H) Corrupta est autem terra coram deo et repleta est iniquitate.

Corrupta est autem terra coram Deo et repleta est iniquitate.

Und es verderbte die Erde vor Ihm, Gott, und die Erde war voll von Gewalttat.

Die Erde aber verdarb vor Gott, die Erde füllte sich mit Unbill.

12 Cumque vidisset Deus terram esse corruptam (omnis quippe caro corruperat viam suam super terram),

Et vidit D E U S terram, & ecce corrupta erat; quia corruperat omnis caro viam suam super terram.

(I) Et vidit dominus deus terram et erat corrupta, (E) quoniam corrupit omnis

caro viam eius super terram.

(H) Cumque vidisset deus terram esse corruptam omnis quippe caro corruerat viam suam super terram.

Cumque vidisset Deus terram esse corruptam omnis quippe caro corruerat viam suam super terram.

Und Gott sah die Erde an, und siehe, sie verderbte sich; denn es verderbte alles Fleisch seinen Weg auf der Erde.

Gott sah die Erde: da, sie war verdorben; denn verderbt hatte alles Fleisch seinen Weg auf Erden.

13 Dixit ad Noë: Finis universae carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate a facie eorum; & ego disperdam eos cum terra.

Et dixit Deus ad Noach: Finis omnis carnis venit ad conspectum meum, quia repleta est terra iniquitate a facie eorum: & ecce ego disperdens eos ipsam terram.

(S) Et dixit dominus ad Noe tempus omnium hominum iam venit ante me, quia repleta est terra malitia eorum et ecce disperdo eos et terram omnem.

(I) Et dixit dominus deus ad Noe tempus omnis hominis venit in conspectu meo quoniam impleta est terra iniquitatibus suis et ecce ego disperdam illos et terram.

(H) Dixit deus ad Noe finis universae carnis venit coram me repleta est terra iniquitate a facie eorum et ego disperdam eos cum terra.

Dixit ad Noe: „Finis universae carnis venit coram me; repleta est enim terra iniquitate a facie eorum, et ecce ego disperdam eos de terra.

Es sprach Elohim zu Noah: „Das Ende alles Fleisches ist vor mich gekommen; denn die Erde ist erfüllt von Gewalt von ihnen her, und siehe, ich verderbe dieselben, die Erde.

Gott sprach zu Noach: Ein Ende alles Fleisches ist vor mich gekommen, denn die Erde ist voll durch sie der Unbill, da, ich verderbe sie samt der Erde.

14 Fac tibi arcam de lignis laevigatis: mansiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinsecus & extrinsecus.

Fac tibi arcam lignorum Gopher. Nidos facies arcam, & bituminabis eam a domo et (?) a foris bitumine.

(S) Fac itaque tibi arcam de lignis quadratis nidos et nidos facies et bituminabis eam.

(I) Fac ergo tibi arcam ex lignis quadratis nidos facies in arca(m) et bituminabis eam ab intus et a foris bitumine.

(H) Fac tibi arcam de lignis levigatis mansiunculas in arca facies et et bitumine linies intrinsecus et extrinsecus.

Fac tibi arcam de lignis cupressinis, mansiunculas in arca facies et bitumine linies eam intrinsecus et extrinsecus.

Mache dir eine Arche von Gopher-Stämmen! >>Kinnim<< sollst du die Arche machen und sie pichen von innen und von außen mit Pech!

Mache aus Tannenstämmen dir einen Kasten, in Zellen mache den Kasten, und decke ihn innen und außen mit einer Pechdecke!

15 Et sic facies eam: Trecentorum cubitorum erit longitudo arcae, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius.

Et hoc (?) quo facies eam. Trecenti cubiti longitudo arcae, quinquaginta cubiti latitudo eius, & triginta cubiti statura (?) eius.

(I) Et sic (E) facies arcam trecentorum cubitorum longitudine(m) et quinquaginta cubitorum latitudine(m) et triginta cubitorum altitudine(m) eius.

(H) Et sic facies eam trecentorum cubitorum erit longitudo arcae quinquaginta cubitorum latitudo et triginta cubitorum altitudo illius.

Et sic facies eam trecentorum cubitorum erit longitudo arcae, quinquaginta cubitorum latitudo et triginta cubitorum altitudo illius.

Und dies ist es, was du sie machen sollst, 300 Ellen die Länge der Arche, 50 Ellen ihre Breite und 30 Ellen ihre Höhe.

Und dies ist's, wie du ihn machen sollst: Dreihundert Ellen die Länge des Kastens, fünfzig Ellen seine Breite, und dreißig Ellen seine Höhe.

16 Fenestram in arca facies, & in cubito consummabis summitatem eius:

ostium autem arcae pones ex latere: deorsum, coenacula, & tristega facies in ea.

Fenestram facies arcae & ad cubitum consummabis ea de sursum: & ostium arcae in latere eius pones. Inferiora, secunda & tertia facies eam.

(S) Collectam facies arcam et in cubito consummabis eam desuper et ostium facies de (a) latere et bicameratam et tricameratam facies eam.

(I) Colligens facies arcam et in cubitum consummabis eam a summo ostium vero arcae facies ex transverso inferiora bicamerata et tricamerata facies.

(H) Fenestram in arca facies et in cubito consummabis summitatem ostium
autem arcae pones ex latere deorsum cenacula et tristega facies in ea.

Fenestram in arca facies et cubito consummabis summitatem eius.

**Ostium autem arcae pones ex latere; tabulatum inferius, medium et
superius facies in ea.**

**Ein(e) Sohar sollst du machen der Arche, und bis zu einer Elle sollst du
sie zu Ende bringen, und die Tür der Arche sollst du in ihrer Seite setzen.**

Untere, zweite und dritte sollst du sie machen.

**Einen Lichteinfall mache dem Kasten, indem du ihn oben all aufführst
bis an eine Elle. Die Türöffnung des Kastens setze in seine Seite. Ein
unteres, ein zweites und ein drittes Geschoß , so mache ihn.**

17 Ecce ego adducam aquas diluvii super terram, ut interficiam omnem carnem,
in qua spiritus vitae est subter coelum: Universa, quae in terra sunt,
consumentur.

*& ego, ecce ego adducens diluvium aquarum super terram, ad perdendum
omnem carnem, quod in ea spiritus vitae de sub caelo. Omne quod in terra
ex(s)pirabit.*

(P) Ecce adducam diluvium aquae super terram et interficiam omnem carnem
in qua est spiritus vitae sub caelo (M) et omnia quae sunt in terra morientur.

(H) Ecce ego adducam diluvii aquas super terram ut interficiam omnem
carnem in qua spiritus vitae est subter caelum universa quae in terra sunt
consumentur.

Ecce ego adducam diluvii aquas super terram, ut interficiam omnem

carnem, in qua spiritus vitae est subter caelum: Universa, quae in terra sunt, consumentur.

Ich bringe nämlich den Mabbul, Wasser, über der Erde herbei, zu zerstören alles Fleisch, in dem Geist des Lebens ist unter dem Himmel.

Alles, was auf der Erde [ist], soll verschmachten.

Ich aber, da ich lasse die Flut kommen, Wasser über die Erde, alles Fleisch zu verderben, drin Braus des Lebens ist, unterhalb des Himmels, alles, was auf Erden ist, wird verscheiden.

18 Ponamque foedus meum tecum: & ingredieris arcam tu, & filii tui, uxor tua, & uxores filiorum tuorum, tecum.

Et statuam foedus meum tecum: & ingredieris in arcam, tu, & filii tui, & uxor tua, & uxores filiorum tuorum tecum.

(I) Et statuam testamentum meum ad te (E) introibis autem in arcam tu et filii tui et uxor tua et uxores filiorum tuorum (tecum).

(H) Ponamque foedus meum tecum et ingredieris arcam tu et filii tui uxor tua et uxores filiorum tuorum tecum.

Ponamque foedus meum tecum; et ingredieris arcam tu et filii tui, uxor tua et uxores filiorum tuorum tecum.

Und ich bestätige meinen Bund mit dir. Und du trittst ein in die Arche, du und deine Söhne und dein Weib und die Weiber deiner Söhne mit dir.

Mit dir aber errichte ich meinen Bund: Du sollst in den Kasten kommen, du, und deine Söhne, dein Weib, die Weiber deiner Söhne mit dir.

19 Et ex cunctis animantibus universae carnis bina induces in arcam, ut vivant tecum: masculini sexus et foeminini.

Et ex omni vivente, ex omni carne, bina ex omnibus introduces in arcam ad vivendum tecum Masculus & foemina erunt.

(K) Ex omnibus bestiis ex omni carne duo induces in arcam ut vivant tecum masculus et femina erunt.

(H) Et ex cunctis animantibus universae carnis bina induces in arcam ut vivant tecum masculini sexus et feminini.

Et ex cunctis animantibus universae carnis bina induces in arcam, ut vivant tecum, masculini sexus et feminini.

Und von allem Lebendigen, von allem Fleisch, sollst du zwei von jedem in die Arche kommen lassen, um sie mit dir am Leben zu erhalten.

Männlich und weiblich sollen sie sein.

Und sollst von all dem Lebendigen, von allem Fleisch, zwei von allen in den Kasten kommen lassen, sie mit dir am Leben zu halten, ein Männliches und ein Weibliches sollen es sein.

20 De volucris iuxta genus suum, & de iumentis in genere suo, et ex omni reptili terrae secundum genus suum: bina de omnibus ingredientur tecum, ut possint vivere.

Ex volatili in specie sua, & ex iumento in specie sua; ex omni reptili terrae in specie sua: bina ex omnibus ingredientur ad te, ad vivendum.

(K) De animalibus volatilibus secundum genus et de omnibus serpentibus terrae secundum genus ipsorum duo ex omnibus introibunt ad te masculus et

femina.

(H) De volucribus iuxta genus suum et de iumentis in genere suo et ex omni reptili terrae secundum genus suum bina de omnibus ingredientur tecum ut possint vivere.

De volucribus iuxta genus suum et de iumentis in genere suo et ex omni reptili terrae secundum genus suum: bina de omnibus ingredientur ad te, ut possint vivere.

Von den Vögeln nach ihrer Art, von dem Vieh nach seiner Art und von allerlei Gewürm auf Erden nach seiner Art, zwei von jedem werden zu dir kommen, damit man sie am Leben erhalte.

Vom Vogel nach seiner Art und vom Getier nach seiner Art, von allem Gerege des Ackers nach seiner Art, zwei von allen kommen zu dir, sie am Leben zu halten.

21 Tolles igitur tecum ex omnibus escis, quae mandi possunt, & comportabis apud te: & erunt tam tibi quam illis in cibum.

Et tu cape tibi ex omni esca, quae comeditur, & congregabis ad te:

& erit tibi & eis in escam.

(I) Tu autem accipe tibi ipsi ab omnibus escis quae eduntur et congregabis ad temetipsum et erunt tibi et ipsis ad edendum.

(H) Tolles igitur tecum ex omnibus escis quae mandi possunt et comportabis apud te et erunt tam tibi quam illis in cibum.

Tu autem tolle tecum ex omnibus escis, quae mandi possunt, et comportabis apud te; et erunt tam tibi quam illis in cibum“.

**Nimm dir also von aller Speise, die man isst, und bringe sie zu dir ein,
und es diene dir und ihnen zum Essen.**

**Du aber, nimm du dir von allem Essbaren, was gegessen wird, und
heimse es bei dir, es soll dir und ihnen zum Essen sein.**

22 Fecit igitur Noë omnia, quae praeceperat illi Deus.

Et fecit Noach: Iuxta omne quod praecepit ei Deus, sic fecit.

(I) Et fecit Noe omnia quae praecepit ei dominus deus sic fecit.

(H) Fecit ergo Noe omnia quae praeceperat illi deus.

Fecit ergo Noe omnia, quae praeceperat illi Deus; sic fecit.

Und Noah tat gemäß allem, was Gott ihm befohlen hatte; so tat er.

Noach machte es, allwie Gott ihm geboten hatte, so machte er's.